

gredi, quia gloria Domini per eam fuerat ingressa. Rectè veteres auctores elegantique allegoriam hunc locum ad sacrosanctam virginem Mariam accommodaverunt, rideant licet Judei. Nam quod obijciunt statim sequi, *Principes ipse sedebit*, de Christo interpretari possumus, qui solus novit Patrem, et ad dexteram maiestatis ejus sedet, quemadmodum et R. David hoc loco exponit. ERITQUE CLAUSA PRINCIPIS. Hebraei nomen principis in sequenti versu ponunt, quanquam mihi quidem melius videtur in hoc herere, propter articulum, aut propositionem *eth* 78; sensus autem erit: *Erit clausa principis*, id est, in usum principis, sicut statim declarat.

VERS. 5. — PRINCEPS IPSE SEDEBIT IN EA. Non ingredietur, sed in primo limine insistet, ibique victimarum partes edet, quæ extra templum edere non licebat, ut Hebraei interpretantur; cap. 46, versu 12, declaratur portam illam principis, cum sacrificio oblatus esset, aperiendam, ut per eam ingredere atque egredere. Sed in ipso limine consistebat interium domus ejus sacrificium offerbatur, ibid. versu 2. PER VIAM PORTE VESTIBULI, atrii virorum orientalis, ut offerat sacrificia sua, per eamdem egredietur; non amen ingredietur nec egredietur per portam orientalem sanctuarii per quam Domini gloria ingressa fuerat. Alii ad eam ipsam portam hoc referunt, de qua ante loquebatur, sensu proorsu contrario.

VERS. 4. — IN CONSPPECTU, in conspectum domus, id est, sanctuarii, quod per excellentiam domus templumque vocari solet. Porta igitur sanctuarii, quæ ad Aquilonem spectabat, non erat clausa, quemadmodum orientalis, sed aperta, idèoque per eam introspicere potuit gloriam Domini, quæ sanctuarium et Sanctum sanctorum implebat.

VERS. 5. — ET PONES COR TUUM IN VISI TEMPLI; et pones cor tuum ad ingressum domus, et in omnibus exitibus sanctuarii, id est, observabis diligenter omnes templi introitus atque exitus, ut doceas alios, quæ populus, quæ principes, quæ sacerdotes ingredi egredique debeant, ut paulò ante declaravi.

VERS. 6. — AD EXASPERANTEM ME, ad rebellem domum Israel, ad immergeram, et non obedientem, ut cap. 2, 5, 6, et 5, 9, 26, 27, et 12, 2, 5, 9, 25, et 17, 12. SUFFICIENT VOBIS OMNIA SCYLERA VESTRA. Satis enim vobis esse debet ut vos ipsi vestris idolis hominidisque templum meum polluat, quamvis alienigenas et profanos homines non introducatis, qui illud contaminant.

VERS. 7. — FILIOS ALIENOS, alienigenas. Quidam hoc de sacerdotibus gentilium intelligunt, quos dicunt ad sacrificandum idolis in templo constitutos fuisse, sed non probant. Ego ad duos legis locos alludi puto. Alter est Deut. 25, 5: *Ammonites et Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt Ecclesiam Domini, in æternum*. Nam ex eodem loco colligitur nec aliis alienigenis ingredi licuisse. Alter est Levit. 22, 25: *De manu alienigenæ non offeretis panes Deo vestro, et quicquid aliud dare voluerit, quia corrupta et maculata sunt omnia; non suscipietis ea*. Hoc est quod hoc loco

dicunt: *ET OFFERTIS PANES MEOS ADIPEM ET SANGUINEM*, id est, offeretis mihi panes, et victimas cum illis accipitis. ET DISSOLVITIS. Hebr., *Dissolunt pactum meum*; id est, faciunt ut vos dissolvatis, offerentia mihi eorum sacrificia.

VERS. 8. — PRÆCEPTA SANCTUARI MEI; scilicet ne quis alienigena in templum meum ingredere, Deut. 25, 5. Hebr., *non custodistis custodiam sanctuarii mei*, id est, non custodistis diligenter sanctuarium meum, quemadmodum vobis præceperam; sed permisistis alienigenas ingredi; aut, non custodistis templum juxta ipsius leges à me datas, et sed pro arbitrio vestro; permisistis enim eò ingredi, quos voluistis. Hoc est quod dicit: *POSUITIS CUSTODIAS OBSERVATIONUM MEARUM*. Hebr., *custodias meas, vobismetipsis*; id est, qui custodirent templum meum pro arbitrio vestro, non pro meâ voluntate.

VERS. 10. — SED ET LEVITE. Distinguit duo Levitarum genera, ut Hieronymus adnotavit: alios qui unâ cum populo idola secuti sunt, de quibus Isaias dixit: *Sicut populus, sic Sacerdos, c. 24, 2*; alios filios Sadoch, qui à lege Domini non discesserunt. Hoc dicit, v. 15, perpetuò functuros esse sacerdotio; illos, v. 15, à sacerdotum dignitate in infinitum ministro-rum templi gradum dejiciendos. IN ERRORE FILIORUM ISRAEL. Hebr., *erroribus Israel quibus erraverunt à me*; id est, qui omnia flagitiorum genera secuti sunt, quibus Israelite à me discesserunt. ET PORTAVENT; idèoque unâ cum illis in captivitate puniti sunt; ut, et, sit causalis; aut præteritum pro futuro: portabant etiam INIQUITATEM SUAM; id est, penas dabunt, quæ postea explicat, v. 11, 15 et 14.

VERS. 11. — ERUNT IN SANCTUARIO MEO. Hæc est pena, si, quemadmodum debemus, versionem nostram sequamur; ut, qui ante sacerdotum munere fungebantur, aditui janitoresque fiant, et populi ad mactandas victimas administri, ut quorum errorem secuti fuerant, iis inserviant, ut statim dicit.

VERS. 12. — PRO EO QUÒ MINISTRABERUNT ILLIS. Quia populo in idololatriâ servierunt, idèò illi etiam ab idololatriâ revocato perpetuâ servitute obstricti erunt. LEVAVI MANUM MEAM, id est, juravi me eos puni-turum; solemnus enim jurantes manum in cælum levare, quasi Deum testantes, ut Deut. 32, 40: *Levabo ad cælum manum meam, et dicam: Viro ego in æternum; et supra, c. 20, 5: Et levavi manum meam pro stirpe domus Jacob*; et v. 6: *In die illâ levavi manum meam pro eis, ut educerem eos de terrâ Egypti*. Aut, *levavi manum meam, ut percuterem; et supra, c. 20, 25: Iterum levavi manum meam super illos in solitudine, ut dispergerem illos*.

VERS. 13. — ET NON APPROPINQUABUNT AD ME, non ingredientur in sanctuarium meum, sicut filii Sadoch, ut dixit supra, cap. 40, 46, et c. 42, 15, et c. 45, 19. Hinc Ecclesiastica consuetudo nata est, ut clerici qui peccarent, in inferiorem gradum rejicerentur, quod multis veterum conciliorum decretis constitutum legitimus.

VERS. 17. — PORTAS ATRII INTERIORIS: Hebraei hoc loco duobus modis atrium interius interpretantur. Alii atrium sacerdotum atrium interius vocari putant; alii adytum ipsum, quod Sanctum sanctorum appellabatur. Alludit enim ad locum Levit., cap. 16, 2, 3, 4: *Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur sanctuarium, quod est intra velum, coram propitiatorio, quo tegitur arca, ut non moriatur (quia in nube apparebo ei super arcum); nisi hæc ante fecerit, vitulum pro peccato offeret, et arietem in holocaustum. Tunicâ lineâ vestietur, feminalibus lineis verenda celabit; accingetur zonâ lineâ, cidarim lineam imponet capiti*. Objicit R. David, quòd utatur numero plurali: *Ingredientur*, cum in Sanctum sanctorum solus summus sacerdos, idque senel in anno purificationum die ingredere-tur; ad id faciliè responderi potest, idèò pluraliter locutum esse prophetam, quòd non de uno tantum, sed de omnibus futuris summis sacerdotibus loqueretur; sicut Jeremias dixit, cap. 22, 4: *Si facientes feceritis verbum istud; ingredientur per portas domus hujus reges sedentes de genere David super thronum ejus, cum non esset nisi unus rex. Utrumque tamen probabile est, sed illud prius probabilis propter ea quæ versu sequenti dicuntur.*

VERS. 18. — ET NON ACCINGENTUR IN SUDORE, id est, in loco sudoris, ut Hebraei interpretantur, quemadmodum refert R. David in commentariis in hunc locum, id est, non accingentur juxta lumbos aut axillas, sed juxta pectus; debent enim sacerdotes illud Salomonis præceptum diligentissimè servare: *Omni custodia serua cor tuum*, Prov. 4, 23. Hoc sensu Chaldaeus vertit.

VERS. 19. — CUMQUE EGREDIENTUR. Idem supra cap. 42, 14. ET NON SANCTIFICABUNT, ne sanctificent populum sanctorum vestium contactu; quidquid enim rem sanctam tangebat, sanctum erat, Exod. 29, 37: *Septem diebus expiabis altare, et sanctificabis, et erit Sanctum sanctorum; omnis qui tetigerit illud, sanctificabitur*. Etsi non nescio alium sensum ejus loci esse posse, et cap. 30, 29: *Sanctificabisque omnia et erunt Sancta sanctorum; qui tetigerit ea, sanctificabitur*.

VERS. 24. — STABUNT IN JUDICIIS MEIS. In legibus ac decretis meis insistent, ex decretis meis judicabunt, nec ab eis discedent.

VERS. 25. — QUÆ ALTERUM VIRUM NON HABUERIT. Quæ bis nupta non fuerit. Hebr., *quæ non fuit viro*, et Septuag. verterunt, id est, quæ nunquam nupta fuit. Hunc esse sensum ex Levitico constat ubi clarius dicitur: *et sororem virginem, quæ non fuit nupta viro*. IN QUIBUS CONTAMINATUR. In iis, inquam, consanguineis licebit illi se contaminare eos debet pietatis causâ sepeliendo, ut explicatur Levit. 21, 2; quæ omnia de minoribus sacerdotibus intelligenda sunt, non de summo, qui ne super patre quidem aut matre pollueri se poterat, ut ibi dicitur, vers. 11.

CAPUT XLV.

1. Cùmque cœperitis terram dividere sortitò, separate primitias Domino, sanctificatum de terrâ, lon-

VERS. 26. — POSTQUAM FUERIT EMUNDATUS. R. Salom. et alii fere omnes Hebraei sic hunc locum interpretantur: Postquam separatus fuerit à mortuo (tunc enim emundari dicebatur, sicut per presentiam dicebatur contaminari), septem dies numerabuntur, quibus emundetur, nec illi liceat ad templi ministerium accedere. Alii, ut R. David, sic postquam septem dies fuerit emundatus, alii septem dies illi numerabuntur, antiquam illi liceat ad ministerium accedere. Prior mihi interpretatio videtur probabilior; quorsum enim postquam emundatus esset, alios septem dies à sacris abstinere?

VERS. 27. — IN DIE INTROITUS SUI. Quo die primùm ingressus fuerit in sanctuarium, OFFERET PRO PECCATO suo, decimam scilicet partem Ephæ simile, ut tradunt Hebraei; et ut præcipitur Levit. 6, 20: *Hæc est oblatio Aaron, et filiorum ejus, quam offerre debent Domino in die introitus suiæ. Decimam partem Ephæ offerent similem in sacrificio septimerno*.

VERS. 28. — ERIT AUTEM EIS HEREDITAS. Hebr., *et erit eis in hæreditatem* (sub sacerdotium ipsum) quemadmodum R. Salom. et Kimchi interpretantur. Id statim declarat: *EGO ENIM POSSESSIO EORUM*. Hieronymum cum negatione vertisse arbitror; sic enim videtur in commentariis interpretari. Itaque negatio quæ à nonnullis ut nostram versionem corrigere, sublata fuerat, reponenda est; hoc enim non est versionem corrigere, sed aliam versionem facere. Et verò sensus est melior, et Scripturæ magis consentanea, si negatio explicationis causâ adhibeatur; id enim legitimus Deut. 18, 1: *Non habebunt sacerdotes et Levitæ, et omnes qui de eadem tribu sunt, partem et hæreditatem cum reliquo Israel*. Et Numerorum 18, 20: *In terrâ eorum nihil possidebitis, neque habebit partem inter eos, Ego pars et hæreditas tua*.

VERS. 29. — VICTIMAM ET PRO PECCATO. Reddit causam cur hæreditatem sacerdotes habere non debeant, quia ea, quæ à populo offeruntur, ipsorum erunt. ET OMNE VOTUM. Hebr.: *Omne anathema*, id est, quidquid Deo consecratum fuerit.

VERS. 50. — ET PRIMITIVAM OMNIUM PRIMOGENITORUM. Hebr.: *Et primitiæ omnium primitivorum omnium* (rerum) aut (omnis fructus), ut Kimchi exponit, primitias frumenti, vini, et olei, et lanarum partem ex ovium tonsione. UT REPONAT BENEEDICTIONEM. Hebr.: *Ut quiescere faciat benedictionem in domo tuâ*, id est, ut venire faciat super domum tuam Dei benedictionem et ab eâ nunquam discedere. Benedictionem vocat rerum omnium abundantiam.

VERS. 51. — OMNE MORTICINUM. Hæc non solis sacerdotibus, sed omnibus etiam Judeis vetabantur. Levit. 5, 2; et 11, 41; et 17, 15; et 22, 8. Sed maxime sacerdotibus, quos cæteris sanctorum esse oportebat, propterea tanquam proprium præceptum hoc loco repetit.

CHAPITRE XLV.

1. Lorsque vous commencerez à partager la terre au sort, séparez-en les premières sur le Seigneur :

gūdine viginti quinque millia, et latitudine decem millia : sanctificatum erit in omni termino ejus per circuitum.

2. Et erit ex omni parte sanctificatum quingentos per quingentos, quadrifariam per circuitum : et quinquaginta cubitis in suburbana ejus per gymrum.

3. Et à mensurà istà mensurabis longitudinem viginti quinque millium, et latitudinem decem millium : et in ipso erit templum, Sanctumque sanctorum.

4. Sanctificatum de terrà erit sacerdotibus ministris sanctuarii, qui accedunt ad ministerium Domini : et erit eis locus in domos, et in sanctuarium sanctitatis.

5. Viginti quinque autem millia longitudinis, et decem millia latitudinis erunt Levitis, qui ministrant domui : ipsi possidebunt viginti gazophylacia.

6. Et possessionem civitatis dabitur quinque millia latitudinis, et longitudinis viginti quinque millia, secundum separationem sanctuarii, omni domui Israel.

7. Principi quoque hinc et inde in separationem sanctuarii, et in possessionem civitatis, contra faciem separationis sanctuarii, et contra faciem possessionis urbis, à latere maris usque ad mare, et à latere orientis usque ad orientem : longitudinis autem juxta unamquamque partem à termino occidentali usque ad terminum orientalem.

8. De terrà erit ei possessio in Israel : et non depulabuntur ultra principes populum meum : sed terram dabunt domui Israel secundum tribus eorum.

9. Hæc dicit Dominus Deus : Sufficiat vobis, principes Israel : iniquitatem et rapinas intermitte, et iudicium et justitiam facite : separate confinia vestra à populo meo, ait Dominus Deus.

10. Statera justa, et ephi justum, et bathus justus erit vobis.

11. Ephi et bathus æqualia, et unius mensura erunt : ut capiat decimam partem cori bathus, et decimam partem cori ephi : juxta mensuram cori erit æqua libratio eorum.

12. Siclus autem viginti obolos habet : porrò viginti sicli, et viginti quinque sicli, et quindecim sicli, minam faciunt.

13. Et hæ sunt primitiæ, quas tolletis : Sextam partem ephi de coro frumenti, et sextam partem ephi de coro hordei.

14. Mensura quoque olei, bathus olei, decima pars cori est : et decem bathi eorum faciunt, quia decem bathi implent eorum.

15. Et arietem unum de grege ducentorum, de his que nutriunt Israel in sacrificium, et in holocaustum, et in pacifica, ad expiandum pro eis, ait Dominus Deus.

16. Omnis populus terræ tenebitur primitiis his principi in Israel.

17. Et super principem erunt holocausta, et sacrificium, et libamina, in solemnitatibus, et in calendis, et in sabbatis, et in universis solemnitatibus domus Israel : ipse faciet pro peccato sacrificium, et holocaustum, et pacifica, ad expiandum pro domo Israel.

un lieu qui soit sanctifié et séparé du reste de la terre, qui ait vingt-cinq mille mesures de longueur, et dix mille de largeur ; et il sera saint dans toute son étendue.

2. De tout cet espace, vous en séparerez, pour le lieu saint, un lieu carré, qui aura cinq cents mesures de chaque côté tout à l'environ ; et cinquante coudées encore aux environs, pour les faubourgs.

3. Vous mesurerez donc avec cette mesure une place de vingt-cinq mille de longueur, et dix mille de largeur ; et dans cette place, sera le temple et le Saint des saints.

4. Cette terre ainsi sanctifiée sera pour les prêtres qui sont les ministres du sanctuaire, et qui s'approchent pour s'acquiescer des fonctions du ministère du Seigneur ; et ce lieu sera destiné pour leurs maisons, et pour le sanctuaire très-saint.

5. Il y aura vingt-cinq mille mesures de longueur, et dix mille de largeur, pour les lévites qui servent au temple ; ils auront eux-mêmes vingt chambres dans le trésor.

6. Et vous donnerez à la ville, pour son étendue, cinq mille mesures de large, et vingt-cinq mille de long, selon ce qui est séparé pour le sanctuaire : et ce sera pour toute la maison d'Israël.

7. Vous désignerez aussi le partage du prince, qui s'étendra de part et d'autre, le long de ce qui a été séparé pour le lieu saint, et pour la place de la ville, et vis-à-vis de ce lieu saint, et de cette place, depuis un côté de la mer jusqu'à l'autre, et de l'autre côté de l'orient jusqu'à l'autre ; et la longueur de ce qui lui appartiendra sera égale à ces deux autres portions, depuis les bornes de l'occident, jusqu'aux bornes de l'orient.

8. Il aura son partage de la terre dans Israël ; et les princes ne pilleront plus à l'avenir mon peuple ; mais ils distribueront la terre à la maison d'Israël, selon leurs tribus.

9. Voici ce que dit le Seigneur Dieu : Que cela vous suffise, ô princes d'Israël ! cessez de commettre l'iniquité, et de piller mon peuple ; rendez la justice, et agissez selon l'équité : séparez vos terres d'avec celles de mon peuple, dit le Seigneur Dieu.

10. Que votre balance soit juste ; que l'éphi et le bath soient aussi pour vous de justes mesures.

11. L'éphi et le bath seront égaux et d'une même mesure, en sorte que le bath tiendra la dixième partie du cor, et que l'éphi tiendra de même la dixième partie du cor ; leur poids sera égal, par rapport à la mesure du cor.

12. Le sicle doit avoir vingt oboles ; et vingt sicles, vingt-cinq sicles et quinze sicles, font la mine.

13. Et voici quelles seront les primitives que vous offrirez : la sixième partie de l'éphi, prise sur un cor de froment, et la sixième partie de l'éphi prise sur un cor d'orge.

14. Quant à la mesure de l'huile, c'est le bath d'huile qui est la dixième partie du cor ; car les dix baths font le cor, et le cor est rempli de dix baths.

15. On offrira un bœuf d'un troupeau de deux cents bêtes, de celles que le peuple d'Israël nourrit pour les sacrifices, pour les holocaustes, pour les oblations pacifiques, afin qu'il serve à les expier, dit le Seigneur Dieu.

16. Tout le peuple du pays sera obligé de payer ces primitives à celui qui sera prince en Israël.

17. Et le prince sera chargé d'offrir les holocaustes, les sacrifices et les oblations de liqueurs, les jours solennels, les premiers jours de chaque mois, les jours du sabbat, et tous les jours solennels par la maison d'Israël ; il offrira, pour le péché, le sacrifice, l'holocauste et les victimes pacifiques, pour l'expiation de la maison d'Israël.

18. Hæc dicit Dominus Deus : In primo mense, unā mensis, sumes vitulum de armento immaculatum et expiabis sanctuarium.

19. Et tollet sacerdos de sanguine quod erit pro peccato : et ponet in postibus domus, et in quatuor angulis crepidinis altaris, et in postibus portæ atrii interioris.

20. Et sic facies in septimā mensis, pro unquoque qui ignoravit, et errore deceptus est : et expiabis pro domo.

21. In primo mense, quartadecim die mensis, erit vobis Pasche solemnitas : septem diebus azyma comedentur.

22. Et faciet princeps in die illā pro se, et pro universo populo terræ, vitulum pro peccato.

23. Et in septem diebus solemnitate faciet holocaustum Domino septem vitulos, et septem arietes immaculatos, quotidie septem diebus : et pro peccato hircum coprum quotidie.

24. Et sacrificium ephi per vitulum, et ephi per arietem faciet : et olei hin per singula ephi.

25. Septimo mense, quintadecim die mensis in solemnitate, faciet sicut supra dicta sunt per septem dies, tam pro peccato, quam pro holocausto, et in sacrificio, et in oleo.

COMMENTARIUM.

VERS. 1. — *QUE COEPERITIS TERRAM DIVIDERE SORTITO*, Hebr. : *Et cum cadere feceritis terram in hereditatem*, ad verbum, id est, cum sortitio in hereditatem dividere coeperitis, ut rectè noster interpres hebraisum exprimens verit. Non quòd sortitione terra secundò divisa sit. Hoc enim fuit inter primam sub Josue, et secundam sub Esdra, terre divisionem, discrimen, quòd illa sortitione facta est, ita tamen ut paucioribus minor, pluribus major portio daretur. Num c. 33, v. 45, et Josue cap. 14, vers. 2. Hæc autem neque sortitione facta est, neque per inæquales partes ; sed Dei arbitrio, et æqualiter. At dicit, *Sortitio, quia vocat hereditatem*, et solent hereditates sortibus dividi. *SEPARATE PRIMITIAS DOMINO*, Hebr., *lexate levationem*, ad verbum, id est, offerte oblationem Domino, primam scilicet partem. Hoc totum declarat verbum *lexate*. Solebant enim primitiæ frugum hoc ritu offerri, ut sacerdos fasciculum earum coram Domino levaret, Levit. cap. 15, vers. 11. Itaque rectissime noster interpres sensum expressit. *SANCTIFICATUM, ut sanctificetur, ac deducatur Domino*. *LONGITUDINE VIGINTI QUINGUE MILLIA*. Nonnulli, cubitorum, intelligunt, quia supra cubitis ferè omnia architectus, quem propheta viderat, metiebatur. Melius Hieronymus, et alii penè omnes interpretes, vigint quinque millia calamorum in longitudinem, et decem milia in latitudinem exponunt. Calamus enim mensuris in manibus viri erat, capite quadragesimo, versiculo tertio, et est verisimile agrum cannâ potius, quam cubito mensum fuisse. Adnotavit Rabbi David longitudinem ab Oriente in Occidentem ; latitudinem verò à Meridie in Septentriones accipiendam esse ; quamvis totius terre Judæ longitudinem

18. Voici ce que dit le Seigneur Dieu : Le premier mois, et le premier jour de ce mois, vous prendrez un veau du troupeau, qui soit sans tache, et vous vous en servirez pour expier le sanctuaire.

19. Le prêtre prendra du sang du sacrifice qu'on offrira pour le péché ; et il en mettra sur les poteaux du temple, aux quatre coins du rebord de l'autel, et aux poteaux de la porte du parvis intérieur.

20. Vous ferez la même chose le septième jour du mois, pour tous ceux qui ont péché par ignorance et qui ont été trompés par une erreur ; et vous expierez ainsi pour le temple.

21. Le premier mois, au quatorzième jour de ce mois, vous solenniserez la fête de Pâques ; on mangera les pains sans levain sept jours durant.

22. Et le prince offrira en ce jour-là, pour lui-même et pour tout le peuple du pays, un veau pour le péché.

23. Il offrira en holocauste au Seigneur, pendant la solennité des sept jours, sept veaux, et sept bœufs sans tache, chaque jour, durant les sept jours ; et il offrira aussi, chaque jour un jeune bouc pour le péché.

24. Il joindra dans son sacrifice un éphi de farine à chaque veau, et un éphi de farine à chaque bœuf ; et il ajoutera un hin d'huile à chaque éphi.

25. Le septième mois, et le quinzième jour de ce mois, il fera, en cette fête solennelle sept jours de suite, les mêmes choses qui ont été dites auparavant, soit pour l'expiation du péché, soit pour l'holocauste, ou pour le sacrifice des oblations et de l'huile.

à Meridie in Septentriones, latitudo ab Oriente in Occidentem surmeretur. *SANCTIFICATUM ERIT IN OMNI TERMINO*. Totum hoc terre spatium sanctum erit, non quidem ita ut templum, neque ut templi peribolus ; sed ita ut terra sacerdotum, in quorum etiam habitacionem et usum jubetur hæc prima portio separari. Templi enim periodus, quod in medio hujus primæ portionis situm erat, non habebat nisi quingentos cubitos per singula latera, ut dictum est supra, cap. 42, v. 16, 17, 18, 19, 20.

VERS. 2. — *ET ERIT EX OMNI PARTE SANCTIFICATUM* ; majore quadam sanctitate, quam reliquum spatium quia hic futurum erat templum, id est, habitatio Dei, illic habitatio sacerdotum. *QUINGENTOS PER QUINGENTOS*. Hebraisum, id est, quingentos per singula quatuor latera. *QUINGENTES* autem intelligi calamos, ut constat ex cap. 42, vers. 16, 17, 18, 19, 20 ; non cubitos, ut alii volunt, existimantes describi hic interiorem atrii murum. Sed id ex ipsa mensurâ refutatur. Quam R. David sic colligit : Inter templum et locum populi versus Orientem relinquebatur spatium duodecim millium ducentorum quinquaginta calamorum, toidemque versus Occidentem ; sunt viginti quatuor millia et quingenti calami ; templi autem periodus, aut semidiameter habebat quingentos calamos, cap. 42, vers. 16, 17, 18, 19, 20 ; sunt viginti quinque millia calamorum, quos totum spatium sanctum in longitudinem versus superiore habere dixit. Inter templum autem et populi habitacionem versus Septentriones erant quater mille septingenti quinquaginta cubiti, toidemque Meridiem versus ; sunt novies mille quingenti et quingenti quos habebat templum ; sunt decem millia cala-

morum latitudinis, quos totum spatium præcedente versu habuisse dixit. Et QUINQUAGINTA CUBITIS IN SUBURBANA EJUS. Significat inter ipsam templi periodum et sacerdotum habitationem fuisse spatium quinquaginta cubitorum per circuitum, in quo spatio, et reventiæ ac sanctitatis causâ, et ut templi pulchritudo magis apperere, nullum erat ædificium. Hoc significat, *nigrasch*, id est, ager suburbanus, ut Levit. 25, 54.

VERS. 5.—ET A MENSURA ISTA. Hebræi variè exponunt. R. Salomon, à mensurâ istâ, interpretatur pro in mensurâ istâ, id est, calamo mensorio, ut dixit cap. 12, 46; quasi dicat: Eadem mensurâ metieris, illa viginti quinque millia longitudinis, et decem millia latitudinis, quæ templi circuitum mensus es, nempe calamo. Quia enim dixerat vers. 1: *Longitudine viginti quinque millia, et latitudine decem millia*, et non dixerat, utrum cubitorum, an calamorum, declarat, inquit, nunc calamos esse debere, non cubitos. Alii, ut Kimchi, interpretantur, à mensurâ istâ; id est, ex illâ mensurâ majoris spatii, quod habebat viginti quinque millia calamorum longitudinis, et decem millia latitudinis, metieris spatium quingentorum calamorum, ut in eo templum ædificetur. Priorem sensum noster interpres et Septuaginta, et, ut videtur, Chaldaeus paraphrasas, reddiderunt, non enim dixerunt, mensurabis ex longitudine viginti quinque millium, et latitudine decem millium; sed longitudinem et latitudinem.

VERS. 4.—SANCTIFICATIO DE TERRA. Hoc spatium, quod versu præcedenti dixit, viginti quinque millium calamorum longitudinis, et decem millium latitudinis, erit sanctificatio de terra, id est, ex totâ terrâ Juda; aut erit separatum à reliquâ terrâ, ut sit sanctum Domino, sicut noster interpres dixit vers. 4: *Separate primitias Domino, sanctificatum de terrâ*. Nam et Hebræi putant alludi ad nomen illud *theruma*. Hoc, inquam, spatium erit sanctum, ut in ejus medio, id est, in monte, templum ædificetur, in reliquis partibus per circuitum interjecto spatio quinquaginta cubitorum, ut dixit vers. 2, sacerdotes habitent.

VERS. 5.—VIGINTI QUINQUE AUTEM MILLIA. Alia præter illa quæ sacerdotibus assignata sunt, jubet æqualem Levitis à sacerdotibus partem admitti, quod et ipsi Domino ejusque templo ministrarent. Ipsi præcedebunt gazophylacia. Hieronymus, et alii multi Latini interpretes, et inter Hebræos R. David, exponunt viginti gazophylacia in spatio construenda. R. Salomon et nonnulli alii, viginti gazophylacia ex iis, quæ erant in templo, quæ ille nonaginta fuisse existimat. Gazophylacia Levitarum in templo fuisse videtur multo esse probabilis, cum ideo facta essent, ut ii qui templo ministrabant, in illis habitarent.

VERS. 6.—SECUNDUM SEPARATIONEM SANCTUARIUM. Hebr.: *E regione oblationis sanctitatis*; id est, è regione portionis sacerdotum et Levitarum, quæ sacra erat. Post partem sacerdotum et Levitarum.

VERS. 7.—PRINCIPI QUOQUE. Dabitur, ut dixit versu præcedente. Hinc ET INDE, ab Oriente et ab Occidente; aut ad Meridiem et ad Aquilonem, ex utroque

latere. Latera autem dicebantur propriè meridianum et septentrionale, quia longitudo ab Oriente in Occidentem sumebatur. IN SEPARATIONEM SANCTUARIUM; usque ad separationem, id est, portionem sanctuarii et civitatis juxta oblationem sanctitatis, et juxta possessionem civitatis, id est, post portionem sanctam, tam sacerdotum et Levitarum, et post portionem profanam civium, ita ut ultima portio sit principis cingens et veluti vallans omnes alias, ut eas defendat; vel, inter portionem sanctam et portionem civitatis, ita ut primum locum de templo et sacerdotibus, secundum Levitis, tertium (ut par erat) principi, quartum civibus. Hæc utraque interpretatio mihi videtur esse probabilis. Illa verò à multis recepta, qui sic exponunt, ut in portione principis portionem sacerdotum et portionem civitatis fuisse dicunt, non video quid rationis aut probabilitatis habeat. Probabilius est illud Hieronymi, per possessionem civitatis, Levitarum partem intelligendam; tamen ideo non probo, quod faciliè, si voluisset, Levitarum partem dicere potuisset, et quia consultò propheta priorem partem vocat oblationem sanctam, posteriorem nec oblationem, nec sanctam, sed possessionem appellat. CONTRA FACIEM SEPARATIONIS. E regione portionis sacræ, et possessionis civium. À LATERE MARIS USQUE AD MARE; à latere maris versus mare, et à latere Orientis versus Occidentem. Significat partem regis ex utraque parte futuram esse, quemadmodum partem sacerdotum et Levitarum fuisse dicimus. LONGITUDINIS AUTEM JUXTA UNAMQUEQUE PARTEM. Hebr.: *Et longitudo (ejus erit) è regione unius ex partibus*; id est, longitudo sumatur ab Occidente in Orientem è regione unius ex partibus. Nimirum pars principis meridionalis, è regione partis meridionalis civium; et pars septentrionalis, è regione partis septentrionalis; à termino occidentali (ipsius partis principis, aut civium et sacerdotum) usque ad orientalem. Quanta fuerit portio regis neque propheta dicit, neque Hebræorum interpretes inter se conveniunt; sed est verisimile tantam fuisse, quanta erat pars sacerdotum et Levitarum, quia aliqui mensuram propheta posuisset; tradunt aliqui Hebræi post separatam sacerdotum et Levitarum portionem, totam reliquam terram in tredecim æquales partes fuisse divisam; ex quibus una regi, reliquæ duodecim tribubus date fuerint. Hunc autem principem Messiam interpretantur, ut ait R. David in commentariis in hunc locum; quod noster quoque Hieronymus comprobat.

VERS. 8.—DE TERRA ERIT; quasi dicat, non ex vegetabilibus vivent reges, ne populum meum opprimant, sed ex portione terre quam habebunt. Sed TERRAM DABUNT. Ipsi principes, aut, qui terram dividunt, separatâ portione sacerdotum, Levitarum, et principis, reliquam terram populo distribuunt. Hebr.: *Terram (reliquam) dabunt domui Israel*.

VERS. 9.—SUFFICIAT VOBIS, OPPRESSIS HÆTENTIS POPULUM MEUM. SEPARATE CONFINE VESTRA, ne possessionis vestre fines in alienas possessiones irruendo dilatetis, quemadmodum Achab vineam Naboth per vim

usurpavi; ut possessionem suam amplificaret, 3 Reg., cap. 21, 15, 16. Estote possessione vestra contenti, quando quidem tanta est, quanta unius cujuslibet tribus. Hoc sensu Hieronymus vertit. Hebræi verò interpretantur: Tollite projectiones vestras, id est, tributa, quæ hæctentis in populum meum projicere solebatis.

VERS. 10.—STATERA JUSTA. Commendat principibus mensurarum ac ponderum æquitatem, quia illi sunt qui ca minuendi et augendi auctoritatem habent, ut apud Amos, cap. 8, 4, 5: *Audite hoc, qui conteritis pauperem, et defecere facitis egenos terræ, dicentes: Quando transibit mensis, et venundabimus merces, et aperiemus frumentum, ut imminamus mensuram, et anguemus siclam, et supponamus stateras dolosas*. Sic Salom.: *Pondus et pondus, mensura et mensura, utrumque abominabile est apud Deum*. Prov. 20, 10. *Moyse in lege præceperat, Deut. 25, 15, 14: Non habebis in sacculo diversa pondera, majus et minus, nec erit in domo tuâ modus major et minor*.

VERS. 11.—EPHI ET BATUS ÆQUALIA; nisi quod Ephî aridorum erat, batus liquidorum, ut constat ex v. 13, 14. Corus autem communis aridorum ac liquidorum mensura erat, ut vel ex hoc loco perspicuum est, et 3 Reg. 4, 22, et 5, 41. Continebat autem corus sata triginta, Ephî tria, ut tradunt Hebræi.

VERS. 12.—SICLUS VIGINTI OBOLIS HABET. Hebr.: *Viginti gerah*, id est, grana silique, ut nonnulli Hebræi tradunt. Quæ inde vitiosè ducto nomine charatas pharmacopoei vocant; ita etiam Moses scribit Exod. 30, 13: *Porrò viginti sicli*. Hoc est, mina continet sexaginta siclos. Propterea autem divisit sexaginta siclos in tres partes, ut ait R. David, quia in minâ tres alie mensuræ continebantur, quarum una quindecim siclos habebat, id est, quartam minar partem; secunda viginti, id est, tertiam; tertia viginti quinque, id est, tertiam cum duodecimâ. Adnotat etiam Kimchi prophetam hoc loco de profanâ, non de sacrâ minâ loqui; sacram enim duplò fuisse majorem, centumque viginti siclos habuisse. Id quod rationi valdè consentaneum, cum de regibus, non de sacerdotibus, hic agat.

VERS. 13.—QUAS TOLLETIS, quas offeretis levando illas coram Domino, quia erat ritus primitias offerendi, Levit. 25, 11. Hieronymus de primitiis hoc loco agi putat, quæ sacerdotibus offerendæ erant, numerumque præscribi, qui in Pentateucho non fuerat declaratus, nec sacerdotum avaritia nimium exigeret. Præscribitur autem ut sexagesima pars detur ex fructibus terræ; cum enim Ephî decima cori pars esset, sexta pars Ephî, sexagesima est cori. Id Hebræorum traditio confirmat, quæ docet pro primitiis, nec minis quàm sexagesimam, nec plus quàm quadragesimam partem dari posse. At si de primitiis sacerdotibus vendendis agebat, cur de solo tritico et hordeo mentionem fecit cum ex omnibus terræ fructibus dari debuissent? Deinde si sacerdotum avaritiam cohibere volebat, non debebat sexagesimam, sed quadragesimam partem definire. Nam usque ad quadragesimam

illis accipere licebat. Kimchi putat agi de primitiis, quæ in secundâ templi dedicatione offerendæ erant. Est etiam probabile agi de sacrificiis regum, de quibus sermo erat, quemadmodum cap. sequenti, vers. 12 et 13, videtur explicari.

VERS. 14.—MENSURA QUOQUE OLEI, hæc erit. Hebr.: *Et præceptum, aut lex olei* (hæc erit); hoc est, in oblationem tritici et hordei, quæ supra descripta est, decimam partem bati olei inferetis. Itaque in sexagesimam partem farinæ triticeæ aut hordeæ miscibitis centesimam partem olei. Nam decima pars bati, centesima est cori, cum corus decem batos contineat. Præcipiebat enim lex ut similia oleo conspersa offerretur. BATUS OLEI DECIMA PARS CORI EST. Hebræi hoc modo verba distinguunt: *Batus olei* (sub. mensura est), id est, liquidorum, sicut Ephî aridorum; decimam partem bati ex corò (offeretis). ET DECEM BATI CORUM FACIUNT, quia decem bati, etc.; quasi dicat, erunt autem bati justæ mensuræ, ita ut decem bati corum faciant, sicut nunc decem bati implent corum. Itaque bati tunc æquales erunt iis qui nunc sunt. Ita R. David.

VERS. 15.—ET ARIETEM UNUM. Hebr., et *agnam unam*, feminini generis. DE GREGE DUCENTORUM, id est, qui ducentas oves habuerit, unam sacrificabit, eamque ex pinguioribus, ut in lege præcipiebatur, Num. 18, 20, 32; quemadmodum paulò ante egit de oblatione fructum, qui coram Domino levabantur, ita nunc agit de hostiis, earumque numerum designat.

VERS. 16.—OMNIS POPULUS TERRÆ, Judææ, de quâ agitur. TENEBITUR PRINCIPI, id est, dabit principem sacerdotum has primitias, ut ipse unus sustineat offerendi holocausta, et libamina, et sacrificia in solemnitatibus, et calendis, et sabbatis pro toto populo. Ita et Hieronymus, et Hebræi interpretantur, eodemque sensu Chaldaeus reddidit. Alii de rege intelligunt.

VERS. 18.—PRIMO MENSE. Mense martio, quo populus de terrâ Egypti liberatus est; in enim primus anni mensis erat, Exod. 12, 2. UNA MENSIS, primâ die mensis; frequens ac notus hebraismus, ut unâ sabbatorum, Marc. 16, 2, et Luc. 24, 1; vide sup., cap. 29, 1, 17; et 51, 1; 52, 1.

VERS. 19.—IN POSTIBUS DOMUS, templi, aut sanctuarii, ut exponit R. David. ET IN QUATOR ANGULIS CREPIDINIS; Hebr., *atrii*. Hebræi exponunt: In quatuor angulis atrii, quod altari conjunctum est. Melius Hieronymus: *In quatuor angulis crepidinis altaris*, nam inferior altaris crepidus, *azarah*, id est, atrium, vocabatur, ut supra docuimus cap. 43, 14. ET IN POSTIBUS FORTE ATRII INTERIORS. Atrii virorum, quod comparatione atrii feminarum interiorius dicebatur, ut ait Kimchi. Possimus etiam atrium sacerdotum interpretari, ubi erat altare, quod videtur esse probabilis.

VERS. 22.—ET FACIET, sacrificabit, ut supra, cap. 43, versu 25, 27, et cap. sequenti, vers. 2 et 12.

VERS. 25.—QUOTIDIE SEPTEM DIERUM. Quotidie septem vitulos, et septem arietes, idque per spatium septem dierum. ET PRO PECCATO URGUM CAPRARUM; QUOTIDIE. Hebr., in *singulis diebus*.

VERS. 24. — ET SACRIFICIUM EPHI PER VITULUM. Faciet oblationem ephi; offeret ephi simile, cum singulis vitulis, et cum singulis misset unum hin olei. Continet autem hin duodecim longin, log autem sex ova. Itaque hin continet septuaginta duo ova, ut tradunt Hebraei in lib. *Mischneioth*, tract. de *Gedioth*.

CAPUT XLVI.

1. Hinc dicit Dominus Deus: Porta atrii interioris, quæ respicit ad orientem, erit clausa sex diebus in quibus opus fit: die autem sabbati aperietur, sed et in die calendarum aperietur.

2. Et intrabit princeps per viam vestibuli portæ deforis, et stabit in limine portæ: et faciet sacerdotis holocaustum ejus, et pacifica ejus: et adorabit super limen portæ, et egredietur: porta autem non claudetur usque ad vesperam.

3. Et adorabit populus terræ ad ostium portæ illius in sabbatis, et in calendis coram Domino.

4. Holocaustum autem hoc offeret princeps Domino: in die sabbati sex agnos immaculatos, et arietem immaculatum;

5. Et sacrificium ephi per arietem: in agnis autem sacrificium quod dederit manus ejus, et olei hin per singula ephi;

6. In die autem calendarum vitulum de armento immaculatum: et sex agni et arietes immaculati erunt.

7. Et ephi per vitulum, ephi quoque per arietem faciet sacrificium: de agnis autem, sicut invenerit manus ejus: et olei hin per singula ephi.

8. Cumque ingressus est princeps, per viam vestibuli portæ ingrediatur, et per eandem viam exeat.

9. Et cum intrabit populus terræ in conspectu Domini in solemnitatibus, qui ingrediatur per portam aquilonis, ut adoret, egredietur per viam portæ meridiana: porro qui ingrediatur per viam portæ meridiana, egredietur per viam portæ aquilonis: non revertetur per viam portæ, per quam ingressus est, sed ÷ regione illius egredietur.

10. Princeps autem in medio eorum cum ingredientibus ingrediatur, et cum egredientibus egredietur.

11. Et in nudinis, et in solemnitatibus erit sacrificium ephi per vitulum, et ephi per arietem: agnis autem erit sacrificium sicut invenerit manus ejus: et olei hin per singula ephi.

12. Cum autem fecerit princeps spontaneum holocaustum, aut pacifica voluntaria Domino, aperietur ei porta quæ respicit ad orientem, et faciet holocaustum suum, et pacifica sua, sicut fieri solet in die sabbati: et egredietur, claudeturque porta postquam exierit.

13. Et agnum ejusdem anni immaculatum faciet holocaustum quotidie Domino: semper mane faciet illud.

14. Et faciet sacrificium super eo cata mane, mane sextam partem ephi, et de oleo tertiam partem hin, ut

VERS. 25. — IN SOLEMNITATE. In festo tabernaculorum, quod decima quintâ die septimi mensis celebratur, Levit. 23, 59. Tam pro peccato, et quod attinet ad sacrificium pro peccato, et ad holocaustum, et ad oblationem, et ad mensuram olei quod misceri debet, eadem in omnibus ratio servabitur, atque in iis que in Paschâ præscripta sunt.

CHAPITRE XLVI.

1. Voici ce que dit le Seigneur Dieu: La porte du parvis intérieur, laquelle regarde vers l'orient, sera fermée les six jours où l'on travaille; mais on l'ouvrira le jour du sabbat, et on l'ouvrira encore le premier jour de chaque mois.

2. Le prince viendra par le chemin du vestibule de la porte de dehors; et il s'arrêtera à l'entrée de la porte; et les prêtres offriront pour lui l'holocauste et le sacrifice de paix; il adonnera sur le pas de cette porte, puis il sortira; et la porte ne sera point fermée jusqu'à son soir.

3. Et le peuple du pays adorera aussi le Seigneur devant cette porte, les jours du sabbat, et les premiers jours de chaque mois.

4. Or, le prince offrira au Seigneur cet holocauste; savoir, le jour du sabbat, six agneaux qui soient sans tache, et un bœlier de même sans tache.

5. Avec l'oblation d'un éphi de farine pour le bœlier, et ce que sa main offrira volontairement en sacrifice pour chaque agneau, et un hin d'huile pour chaque éphi.

6. Et le premier jour de chaque mois, il offrira un veau du troupeau qui soit sans tache, avec six agneaux et six bœliers, qui n'aient point non plus de tache.

7. Et il offrira en sacrifice un éphi de farine pour le veau, avec un éphi de farine pour chaque bœlier; il donnera pour chaque agneau ce que sa main pourra trouver, et un hin d'huile pour chaque éphi.

8. Lorsque le prince doit entrer, il entrera par le vestibule de la porte orientale, et il sortira par le même endroit.

9. Mais lorsque le peuple du pays entrera pour se présenter devant le Seigneur aux jours solennels, celui qui sera entré par la porte du septentrion, pour adorer, sortira par la porte du midi; et celui qui sera entré par la porte du midi, sortira par la porte du septentrion. Nul ne retournera par la porte par laquelle il sera entré; mais il sortira par l'autre qui lui est opposée.

10. Mais le prince étant au milieu d'eux, entrera avec ceux qui entrent, et sortira avec ceux qui sortent.

11. Aux jours de foire, et aux fêtes solennelles, on offrira en sacrifice un éphi de farine pour un veau, et un éphi de farine pour un bœlier; pour les agneaux, chacun offrira en sacrifice ce que sa main trouvera, et l'on joindra un hin d'huile à chaque éphi.

12. Or, quand le prince offrira volontairement au Seigneur un holocauste, ou un sacrifice pacifique, on lui ouvrira la porte qui regarde vers l'orient; et il offrira son holocauste et ses victimes pacifiques, comme il a coutume de le faire le jour du sabbat; et il sortira ensuite, et on fermera la porte après qu'il sera sorti.

13. Et il offrira tous les jours au Seigneur un agneau de la même année, qui sera sans tache; et il offrira toujours au matin.

14. Et il offrira tous les matins en sacrifice pour cet agneau la sixième partie d'un éphi de farine, et la troisième partie d'un hin d'huile, afin qu'elle soit mêlée avec la farine: c'est là le sacrifice qu'il est obligé,

miscetur simile: sacrificium Domino legitimum, jure atque perpetuum.

15. Faciet agnum, et sacrificium et oleum cata mane mane, holocaustum sempiternum.

16. Hæc dicit Dominus Deus: Si dederit princeps donum alicui de filiis suis: hæreditas ejus, filiorum suorum erit: possidebunt eam hæreditariè.

17. Si autem dederit legatum de hæreditate suâ uni servorum suorum, erit illius usque ad annum remissionis, et revertetur ad principem: hæreditas autem ejus, filii ejus erit.

18. Et non accipiet princeps de hæreditate populi per violentiam et de possessione eorum: sed de possessione suâ hæreditatem dabit filiis suis: ut non dispergat populus meus unusquisque à possessione suâ.

19. Et introduxit me per ingressum qui erat ex latere portæ, in gazophylia sanctuarii ad sacerdotes, quæ respiciebant ad aquilonem: et erat ibi locus vergens ad occidentem.

20. Et dixit ad me: Iste est locus ubi coquent sacerdotes pro peccato, et pro delicto: ubi coquent sacrificium, ut non efferant in atrium exterius, et sanctificetur populus.

21. Et eduxit me in atrium exterius, et circumdixit me per quatuor angulos atrii: et ecce atrium erat in angulo atrii, atria singula per angulos atrii.

22. In quatuor angulis atrii atriola disposita, quadraginta cubitorum per longum, et triginta per latum: mensura unius quatuor erant.

23. Et paries per circumum ambiens quatuor atriola: et culina fabricate erant subter porticus per gyrum.

24. Et dixit ad me: Hæc est domus culinaria, in qua coquent ministri domus Domini victimas populi.

COMMENTARIUM.

VERS. 1. — ATRII INTERIORIS. Templi aut sanctuarii, quod ad atrium interius virorum, et exterius feminarum, interius dicebatur. Vide sup., cap. 44, 2, 5.

